

ſtituæ adminiſtratione, rectoque regimi-
ne Reipublicæ .

Præſertim verò, noſtra ætate iſtam
comparationem docuit caſus peſtis quæ
aliquas Italiae partes adeò vexauit, dum
22 in Vrbe, quamuis nimium graſſata eſſet,
nullum penitus inconueniens viſum, vel
auditum eſt, tam circa omnium victua-
lium conſuetam affluentiam, liberum-
que commercium, abſque aliqua pretio-
rum alteratione, quàm etiam circa infir-
morum curationem, & mortuorum ſe-
pulturam, de nocte, abſque aliquo cla-
more, vel tumultu, adeò vt, in tam no-
tabili ſtrage huius diuini belli, nec vnum
quidem cadauer viſum fuerit ſper. Ciui-
tatem; Idque ex vigilantia Congregatio-
nis deſuper conſtitutæ, ex ijs Cardinali-
bus, qui occasione legationum, vel gu-
berniorum, magnam habebant peritiam
in regimine huius temporis calamitoſi,
occasione alterius belli diuini, quod ali-
quas Italiae ſuperiores partes prius vexa-
uerat; Ac etiam, ob nimiam vigilantiam,
& aſſiſtentiam Prælatorum, qui deſuper
deputati fuerant in lazareto & in ſingulis
regionibus, & contratis, dum non ſolum
exactiſſimam adhibebant perſonalem
operam, ac diligentiam, omnino gra-
tuitam, abſque minima, ne quidem
imaginabili vtilitate; Verùm etiã erogabãt
notabiles ſummas de proprio ære, in e-
leemoſynas, ac ſubuentiones indigentium;
Nimium quoque cooperante, omnimo-
da æqualitate exactiſſimæ obedientiæ, in
qua Magnates, ac primarij viri infimos,
ac plebeos vincebant; Ac etiã ob ſeueram
irremiſſibilem punitionem aliquorum inferio-
rum operariorum, qui non bene in proprio
munere ſe gererent; Et in ſumma, vt ab
officialibus, ac regentibus abſint ſordes,
quarum mixtura, nunquam bonum re-
gimen Reipublicæ producere poteſt.

Et licet, ab aliquibus dici ſoleat, quod
23 iſtæ bonæ Prælatorum operationes, non
ex virtute charitatis, & iuſtitie, ſed ab
ambitione proueniunt; Eis tamen repli-
cari poteſt, quod pro bono Reipublicæ
gubernio, ac iuſtitie adminiſtratione
effectus attendi debet, non autem cauſa,
dum apud Deum, & in foro interno, ex
ſanctorum Patrum teſtimonio, non vir-
tus, ſed cauſa virtutis attendi debet, ſed
apud homines, atq; in foro externo, effe-
ctus, vel exercitium virtutis, non autem
cauſa deſideratur.

De Conſistorio, et de cauſis, ac nego-
tijs, quæ in eo tractari ſolent; Ac
etiam de Collegio Cardinalium,
eorumque iurisdictione, & præro-
gatiuis; Et de Congregatione con-
ſistoriali.

S V M M A R I V M

- 1 **D**E vocabulo Conſistorij quid ſigni-
ficet .
- 2 De duplici ſpecie conſistorij .
- 3 De Conſistorio ſolemni publico .
- 4 De functionibus quas in eo faciant Ad-
uocati conſistoriales .
- 5 De Conſistorio ſemipublico .
- 6 De Conſistorio ſecreto, & qua die cele-
bretur .
- 7 De modo accèſſus ad conſistorium .
- 8 De audientia quam Papa præſtat Cardi-
nalibus in conſistorio .
- 9 De negotijs quæ tractantur in conſisto-
rio, & præſertim de promotione
Cardinalium .
- 10 Quando dicantur veri & perfecti Cardi-
nales .
- 11 De alijs ſolemnitatibus in promotione
Cardinalium .
- 12 Quæ perſona ſoleant ad hanc dignita-
tem promoueri .
- 13 Quare Regulares aliquando promouean-
tur .
- 14 Et de eorundem promotione ad Episco-
patum .
- 15 De prouiſione Eccleſiarum Cathedra-
lium, & Metropolitanarum .
- 16 De Episcopatibus titularibus in partibus
infidelium .
- 17 De modo promotionis Episcoporum actua-
lium .
- 18 Monasteria conſistorialia prouidentur
in conſistorio .
- 19 De traditione pallij .
- 20 De dimiſſione Episcopatum .
- 21 De creatione Legatorum Apoſtolicorum .
- 22 De nouis erectionibus vel unionibus Ca-
thedralium .
- 23 De quibus alijs negotijs in conſistorio
tractetur .
- 24 De Congregatione Status .
- 25 De Congregatione conſistoriali, & qua
negotia tractet .
- 26 De Cardinalium Collegio, iurisdictione,
& præeminentijs, & alijs Cardina-
lium indultis & priuilegijs .

- 27 De numero Cardinalium.
 28 De sex Episcopatibus Cardinalitjs.
 29 De illorum optione, & de decanatu Collegij.
 30 An Cardinales Diaconi deat benedictionem.
 31 De optione inter Cardinales.
 32 De præcedentia, & præminentijs supra Prælatos.
 33 De alijs priuilegijs, & prærogatiuis.
 34 De rotulo seu distributionibus Cardinalium.
 35 De præsentia in Curia.

DISC. V.

1 Vamuis istud Consistorij vocabulum, in latiori grammaticali significatione, cuiuslibet simplici adunantiæ, vel congregationi congruere videatur, adeòvt in aliquibus partibus, Tribunalia adsint collegiata, quæ istud nomen seu vocabulum adhuc retinent, vt præsertim in Regno Siciliæ praxis docet; Atque legaliter, attento præsertim iure civili nouo, post Imperij translationem in Græciam, illi congruat adunantiæ, quæ ex Principe, eiusque consiliarijs fiat; Cum consistorium propriè sit locus in quo consultandi gratia, homines consistunt atque consilia dicuntur palatia Augustalia; Attamen quidquid sit de vocabuli significatione, de qua ad scholasticos potius, quàm ad forenses, strictè, ac rigorose inquirere pertinet; Ob communem christianorum Principum vsù, istud vocabulum, singulariter illam significat adunantiæ, seu congregationem, quæ per Papam, cum Collegio Cardinalium, in forma Senatus in eius Apostolico Palatio fit, adeòvt, quamuis aliæ in eadè Romana Curia sequantur adunantiæ per eundem Papam cum eodem Collegio, vel cum aliqua eius parte, vt in Cappellis pontificijs, vel in aliquibus Congregationibus contingit, in illis præsertim Sæcti officij, & Signaturæ Gratiæ, ac Examinis Episcoporum, & quandoque, Rituum pro canonizatione Sanctorum; ac in alijs, non tamen istud, sed alia adhibentur vocabula.

Duplex autem est Consistorij species; Aliud enim est extraordinarium, ma-

gisque solempne, quod, præter Cardinales, alios admittit Prælatos, & ministros, ac etiã Principum Oratores, alijsq; Magnates, qui in Papæ solio assistant, quod publicum dicitur; Et quandoque, cum pontificalibus parametis, pro functionum diuersa qualitate celebratur; Aliud verò est ordinarium, quod in forma minus solempni fit cum solo interuentu Cardinalium pro negocijs pertractandis, quod secretum dicitur.

Prima species, solempna, seu ceremoniosa potius quàm forensis, vel curialia cõcernit, vt cõtingit quando præuio Consistorio secreto, in quo conclusa sit alicuius serui Dei canonizatio, seruatis ijs quæ infra, agendo de Rituum Congregatione insinuantur, aliud publicum, & solempne Cõsistorium fiat, cum interuentu omnium Episcoporum præsentium in Curia, ac etiam Prothonotariorum, Apostolicorum, & Auditorum Rotæ, & quorundam aliorum Prælatorum, quorum omnium tanquam, per quandam imaginem Concilij generalis, votum exquiritur; Sive quando præuia creatione Cardinalium, in alio Consistorio secreto cum solitis ceremonijs, galerus cardinalitius eis conceditur; Aut quando Reges & Principes, vel eorum extraordinarij Oratores, qui obedientiæ dicuntur, ad solempnem & publicam Papæ audientiam, pro obsequio, & obedientia admittuntur; Istaque species, ad Curiam ceremoniam potius, quàm ad forensis mixturam in eo dignoscitur, quod in illis spatijs, in quibus, accedentibus nouis Cardinalibus ad Cappellam pro solempni præstatione iuramētis; Sive quod ob alias ceremonias cõtingat, vt Papa in solio solitus remaneat, ne otium in eo, ne quidem temporis momento detur, Vnus vel plures ex Consistorij Aduocatis interim orare soleat pro canonizatione alicuius serui Dei, eius virtutes, ac merita enarrando; Moderna verò est hæc introductio, orandi super meritis alicuius serui Dei, quoniam antiquitus proponebantur in his spatijs causæ concernentes iustitiã, & potissimum criminales; Quinimò proponebantur casus ideales, & figurati valde horrendi ex testimonio *Gomesij* in compendio vtiusq; Signaturæ, quod inconueniens videbatur.

Ac

Ac etiam datur quædam species mixta, quæ sub semipublici Consistorij vocabulo explicari solet, quia nempe, partim sequatur cum solis Cardinalibus secretè, & partim publicè cum aliorum interuentu, Sed pariter ista species, ad ritualia potius, quàm ad forensia pertinere videtur.

Quatenus itaque ad ordinarium secretum Consistorium pertinet (vt præcedenti discursu insinuatum est,) Illud antiquiori tempore bis in hebdomada teneri solebat; Medio verò semel, pro breuioribus causis in forma contentiosa etiam cum interuentu Procuratorum, & Aduocatorum vtriusque partis decidendis per Papam, cum voto Cardinalium A; Atque ex huiusmodi decisionibus aliqua pars canonum registratorum in quinque libris Decretalium est desumpta, alia verò ex decisionibus Rotæ B.

Hodie verò, rarius illud habetur ad Papæ placitum, prout negotiorum urgentia exigat; Pro frequentiori autem praxi, bis in mense, atque ordinaria dies est illa feriæ secundæ, vulgò lunæ de mane; Quamuis aliquando ob dictæ diei impedimentum, vel necessitate exigente in altera die, & quandoque etiam post prædium, seu de sero, (vt aliquando nostræ ætas vidit,) cum totum pendeat à Papæ placito, ac arbitrio.

Præcedente itaque singulorum Cardinalium in Curia præsentium, die præcedenti per publicum Curforem destinatæ Consistorij celebrationis notificatione, cum expressione diei, & horæ, in qua Sanctissimus sit interuenturus; In consueta Palatii aula magna, vel in alia Papæ placita singuli Cardinales, cum solempni comitatu, & obsequio ad illud accedunt, more Regio, adeòvt in hac functione, magis quam in alijs Romanæ Curie maiestas elucere videatur, atque ita verificari id quod antiqui scriptores de prophanæ triumphantis Romanæ Reipublicæ Senatoribus dicere solent, vt scilicet, tot Reges reputari mereantur.

Postquam verò Cardinales, in conuenienti numero, statuta hora, in Aula congregati sint, in scamno seu banco ligneo cappa magna rochetto, & birreto induti

8 sedendo; Papa ad suam consuetam sedem aequaliter elatam, sub throno, seu baldachino in habitu priuato, cum rochetto scilicet, & mozzetta, ac bireto pontificio accedit, ibique, donec omnium Cardinalium accessus sequatur, vel etiam eo sequuto, ad sui placitum, ianuis adhuc apertis, adeòvt omnibus nobilibus, & qualificatis viris, ac Prælati aditus pateat, singulis Cardinalibus petentibus priuatam auricularem audientiam præstat, super proprijs, vel Principum, aut amicorum, vel familiarium precibus, ac instantijs, alijsque negotijs; Atque in hac functione præsertim, Papæ maiestas dignoscitur, quoniam, licet Cardinales, in præsentia Papæ sedent, in dicto banco cooperto capite, cum bireto cardinalitio, Attamen ubi singuli Papam ibi publicè alloquuntur coram eo, stant capite discoperto, cum magno obsequio, ac reuerentia, quamuis magnorum Principum filij sint, vel Cardinales magnæ existimationis qui eundem Pontificem in minoribus in eorum famulatu, vel obsequio habuerint, eiusque promotores fuerint; Dictaque audientia, pro Papæ placito expleta, omnes ab aula eiciuntur, solis Cardinalibus cum Papa remanentibus, in proxima aula solum assistentibus, Collegij Secretario, & Clerico, alijsque ministris, vt promptè accurrant, ita tamè vt Consistorij secreta audire non valeant.

Negotia verò, quæ hodie in Consistorio explicantur, forensis, contentiosam formam amplius non habent, sed solum gratiosam, vel politicam, vt Principis supremum Senatum decet; Omnium autem primaria functio, reputatur illa nouæ creationis Cardinalium, in locum defunctorum; Atque (quid quid sit de antiquo stylo,) hodiernus est, quod Papa vel in Consistorij initio priusquam alia pertractentur negotia, vel frequentius in fine, dicit Cardinalibus quod habent fratres, atque nominando illos quos in Collegium cooptare velit, eos interrogat quid ipsis videatur, eisque approbantibus, ac laudantibus, fit decretum promotionis, quæ illicò publicatur extra Consistorium per Curiam; Quandoque tamen

A *Vest.* in praxi in principio. *Loier.* de benef. lib. 1. quæst. 8.

B *infra* disc. 32.

tamen exprimēdo numerū eorū qui promouēantur aliquorum nomina publicare non solet, sed ea (vt dicitur) eferuat in pectore; Et quamuis illa quādoque etiam extra actum Consistorij, aperire valeat; Quinimō ex integro Cardinalium promotionem ita facere, cum omnia pendeant à iure, vel formalitate positua, dum vt *disc. precedenti* aduertitur, Cardinalium interuentus & consensus est voluntarius, & consultius; At tamen obseruantia huc vsque dedit, quod, tam promotio, quam publicatio iam promotorum, non nisi in Consistorio fieri consuevit, vnde propterea hodiè non audiuntur illæ quæstiones, quas apud nostros maiores disputatas esse habemus de Cardinalibus occultè creatis. B.

Sequuto verò dicto actu publicationis in Consistorio; Quamuis in alio publico Consistorio, præiis, iuramenti præstatione, aliisque solemnitatibus, Cardinalia insignia solemniter præbeantur, atque in alio Consistorio sequenti, vt vulgò dicitur, eis os operiatur, id est quod habilitantur ad votum proferendum; At tamen istæ sunt ceremoniæ, vel solemnitates, quæ non percutiunt substantiam, vel perfectionem actus, quoniam sequuta promotione, vt supra, illi sunt veri, ac perfecti Cardinales, ideoque (quidquid aliàs dubitatum fuerit,) votum habent in conclauis in electione Pontificis, omnesque alias Cardinalitatis iurisdictiones, & præminentias, vt moderna praxis docuit, vltimæ promotionis Clementis Noni octo Cardinalium, in quorum numero fuit immediatus successor Pontifex Clemens Decimus, qui per dies in statu Cardinalitatis, dictis solemnitatibus non adhibitis, stetit.

In huiusmodi autem promotionibus, pro temporum, vel rerum oportunitate, ac etiam quandoque, ad Imperatoris, & aliquorum Regum, vel Rempublicarum præces, ac instantias, assumuntur Prælati, aliique qualificati, ac emeriti viri, ex omnibus Orbis Catholici nationibus, & frequentius illi, qui per gradus, publica Sedis Apostolicæ munera exercuerint, illa præsertim Nunciorum, apud Reges, & Principes, dum hoc munus magnam

præbet politicorum & publicorum negotiorum peritiam, quæ in Cardinalibus nimium necessaria est, vt distinguendo Curialium classe inferius agendo de Causidicis aduertitur C; Ac etiam illi Episcopi, qui diu, ac laudabiliter, in sibi commissarum Ecclesiarum regimine versati fuerint, aliique Curie Officiales, & Magistratus, & præsertim ex maioribus; Collegiatis Tribunalibus Rotæ, & Camera; Atque quoad assignari vulgò obloquutiones, quæ fieri solent super promotionibus eorum qui officia venalia possideant, latè agitur alibi vbi videri potest. D

Solent autem (ita etiam Apostolicis Constitutionibus monentibus) nullo dictorum publicorum munerum exercitio præcedente, ad hanc dignitatem promoueri aliqui priuati Regulares in cella reclusi, tanquam insignes Sacræ Theologiæ professores; Non quidem principaliter ob hanc professionem, dū in ea habentur quoque Prælati, aliique sæculares togati peritissimi, atque huic primario muneri magis apti, vt potè maiorem politicarum, & publicarum rerum experientiam habentes, sed ex bono, & commendabili fine, ita honorandi quoque clerum seu hierarchicū ordinē regulare, in Ecclesia Catholica valde proficuum, atque ita cum huius præmij spe, multos ad sacrarum literarum studia alliciendo.

Atque ex eadem ratione, iidem Regulares, ad Episcopatus commendabiliter promoueri solent, quamuis illarum diæcesum, in quibus procul ab hæreticis, catholica fides pacificum statum habet, eorum regimen non valde oportunum reputari solet, ob deficientem rerum sæcularium peritiam; Id autem desiderandum videretur, vt omninò inhabiles, ac indigni reputari deberent illi religiosi, qui Episcopatum ambiunt, ac affectant, quodque non petentes, in eorū Religionibus valde probati, ac commendati, ex officio promoueri deberent, vt B. Ioānes Theutonicus dicere solebat; Atque P. Stephanus de Luca meus patruus ordinis Minorum cōuentuliū Romanæ Sapiētiae Theologus nescio an ex proprio sensu, vel ex sanctorum Patrum traditione huiusmodi religiosos qui Episcopatum putent, atque ita inordi-

B. *Inf. consil. 145. lib. 2. quem refert Ciriac. contr. 31. 2. num. 33. & seqq.*

C. *infra in eo disc. in quo agitur de Curialibus. D. tit. de Regal. disc. 2.*

inordinatè ambiunt apostatas mentales appellabat.

Altera Consistorialis functio est prouisio Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium, de Prælati seu Pastore; Itaque prouisio est de duplici specie; Vna scilicet Ecclesiarum titularium tantum absque residentia, & administratione, eo quia diæcesis de facto occupata sit ab Infidelibus, vel hæreticis, aut schismaticis; Et altera de Ecclesijs habentibus actualē iurisdictionem, & administrationem in diocesi catholica.

Prima species prouisionum fit solo nutu, & placito Papæ, cum quamdam honorificam præminentiam solum importare videatur, constituendo personam in ordine pontificali, absque aliquo pontificalium exercitio iure proprio, sed solum iure alieno; Vnde propterea de consuetudine Curie receptum est, vt per huiusmodi prouisiones, non resultet vacatio aliarum Ecclesiarum vel beneficiorum incompatibilium, vt in promotis ad Episcopatus actuales absque dispensatione super retentione resultat, vt in beneficijs materia aduertitur. E

Vbi verò agitur de altera specie prouisionum actualium, tunc præuia respectu Ecclesiarum Italiae & Insularum adiacentium solemnitate examinis, de qua infra in particulari sede Congregationis examinis Episcoporum F; Siue promouendus electus sit per Papam; Siue per Capitulum; Aut nominatus per Principem respectiue, pro regionum diuersis vsibus, coram Cardinali ad id per Papam deputato, per Notarium particularem, his actibus generaliter deputatum, efformatur processus, super vita, moribus, legitimis natalibus, ætate, gradu, aliisque necessarijs requisitis pro Episcopatu, ac etiam super statu Ecclesiæ; Istoque processu completo, idem Cardinalis in primo Consistorio, facit Ecclesiæ, ac personæ prouidende præconizationem, tam oretenus in ipso Consistorio, omnibus Cardinalibus audientibus, quam cum memorialibus, seu breuibus informationibus antecedenti die transmissis per ma-

nus singulorum Cardinalium, super omnibus, quæ in processu continentur, ac iustificata sunt, ad effectum vt in eo intermedio spatio vsque ad alterum Consistorium, extraiudiciales informationes per Cardinales haberi valeant, super ijs quæ in contrarium eis ob stare possint, atque de tempore propositionis opponi; In sequenti verò Consistorio, idem Cardinalis proponit Papæ illam personam electam tanquam idoneam, vt eam Ecclesiæ viduatæ præficiat, atque nemine aliquid habente in contrarium, Papa de super in ipso Consistorio interponit decretum, ideoque ex tunc prouisus dicitur Episcopus, atque obtinet ea, quæ sunt iurisdictionis, non autem ea quæ sunt ordinis pontificalis, pro quibus necessaria est consecratio, quæ ritualia potius vel ceremonialia concernit; Optimum quidem nimiumque cōmendabile est institutum, sed desideranda videretur aliqua melior eius praxis, quoniam, vt quandoque fert fama, siue vera, siue falsa, citra Papæ rectam intentionem, sequuntur huiusmodi electiones in personis patū dignis, quarū mali mores, vel alij defectus innotescant; Et tamen ex quodam vsu, vel ex alia causa, nemo loquitur, adeo ut istud optimum, nimiumque proficuum, institutum quando practicaretur, ad formalitatem redactum videatur.

Quandoque autem, vbi agatur de prouisione personarum, conspicue, ac notæ qualitatis, ipse met Papa propositionem facit, atque illico (si nil opponatur) fit decretum, absque necessitate præconizationis.

Consistorialiter quoque prouidentur aliqua Monasteria regularia, quæ propte rea apud beneficialistas Consistorialia nuncupantur; G Ac etiam coadiutoria cum futura successione, tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam dictorum Monasteriorum consistorialium. H

Atque vbi agatur de Ecclesijs Metropolitanis, vel de aliquibus Cathedralibus hanc prærogatiuam habentibus (vt in Italia sunt Episcopatus Papiensis, & Lucensis), quod scilicet eis congruat vsus pal-

E. *de penson. disc. 58. & 75.*

F. *infra disc. 21.*

G. *de benef. disc. 4.*

H. *de canonic. & Capit. disc. 27. & de Regular. disc. 53.*

patij, tunc in altero immediato, vel mediato subsequenti Consistorio, pallium conceditur, ipsius prouisi procurator supplicante, atque pro eo orante vno ex Aduocatis consistorialibus.

Cumque vnum quodque solui debeat eo modo quo ligatum est; Hinc proinde, si prouisus de aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Metropolitana per dimissionem liberam, vel per translationem ad alteram liberari cupiat, id pariter in Consistorio sequitur, per quandam speciem dissolutionis huius matrimonij spiritualis, prouio processu super iustis causis, ex quibus huiusmodi dissolutio petatur.

Legatorum Apostolicorum, extraordinariorum ad Reges, & Principes, qui de latere dicuntur, ac etiam ordinariorum pro regimine aliquarum Prouinciarum Status Ecclesiastici iuxta distinctionem de qua, *disc. precedenti*, deputationes in Consistorio pariter fiunt.

Prout etiam nouae erectiones Cathedralium, vel Metropolitanarum, cum dismembratione territorij, nouae Ecclesiae assignandi, ab vna vel pluribus adiacentibus diecesibus, siue earumdem Ecclesiarum vniones, vel diuisiones in Consistorio fiunt, atque causae consistoriales dicuntur, omnium verò huiusmodi actuum Secretarius est Cardinalis Vicecancellarius, vt in eius Rubrica aduertitur. I

Item in eodem Consistorio, Papa cum Cardinalibus agit de grauioribus Sedis Apostolicae, & Ecclesiae vniuersalis vel Principum, spiritualibus, ac temporalibus negotijs, iuxta eorum qualitatem & circumstantias; Cumque non semper expediat; de illis publice coram omnibus Cardinalibus loqui, hinc isto casu, Papa pro eorumdem negotiorum consultatione ac directione aliquorum Cardinalium particularem congregationem deputare solet, quae *Status* dicitur, istaque proinde non est Congregatio fixa, & continua, sicuti sunt aliae, de quibus infra, sed in singulis occurrentijs particulariter deputari solet, variando in qualibet Cardinales, aliosque ministros pro negotiorum qualitate, vel temporum

oportunitate.

Quia verò in plerisque ex dictis actibus consistorialibus, interessati oppositores adesse solent, adeo vt formam vel 25 disputationem contentiosam habere oporteat, eaque prudenter, ob maiorem Consistorij maiestatem, ab eo (vt supra) exulauit; Hinc proinde erecta fuit particularis Congregatio, dictorum consistorialium negotiorum preparatoria, seu Consistorij consultiua, quae proinde *Consistorialis*, nuncupatur, constituta ex aliquo competenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum Praelatorum, cum proprio Secretario, qui iuxta hodiernam obseruantiam, non est Praelatus, sed peritus togatus; Atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materiae, Partibus opponentibus auditis in forma merè contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum cardinalitiarum, circa formalitatem telae iudiciariae; Praesertim verò vbi agatur de Ecclesiarum vnionibus vel diuisionibus seu dismembrationibus, nouisque erectionibus, an scilicet verificentur iustae causae vel requisiti desuper necessaria, de quibus habetur particulariter actum in materiae praeminentiarum, vbi videri poterit. L

Ac etiã agitur de confirmatione electionis factae de Praelato à Capitulo vel à Monasterio, an valida, & canonica sit; Siue de cõcessione coadiutoriae, an iusta causa, aliaque requisiti concurrant; Aut de nominatione vel iure nominandi praetense per Principes vel Vniuersitates, ad Cathedrales seu Metropolitanas, de quibus habetur particulariter actum in suis sedibus praesertim in materia electionis, vel coadiutoriae. M

Prout etiam in ista Congregatione, examinantur causae, ac requisiti, sine quibus Episcopus admitti non debet nec solet ad dimissionem Ecclesiae, atque ab eius vinculo solui, quoniam quando agitur de eorumdem Episcoporum poenali absolutione per viam priuationis, tunc ad consultationem alterius Congregationis Episcoporum, id sequi solet.

Et in summa ista Congregatio Consistorialis, est ipsius Consistorij pars, seu mem-

L. de praeminent. dicto disc. 6.

M. de Canon. & Capit. disc. 27. & 28. & de Regular. disc. 53.

I. de praeminentijs disc. 1. cum seqq. & disc. 6. & infra disc. 10.

membrum, aut eiusdem Consistorij Consultor, vel Assessor, adeo vt non nisi de eius voto negotia consistorialia, quae controuersiam pati valeant, explicentur.

In reliquis verò concernentibus ipsius Collegium Cardinalium, de ipsorum introductione, ac iurisdictione in vniuersum, seu participatione in regimine & administratione Ecclesiae vniuersalis, actum est supra, *discurs. 3.*; Ac etiam in materia iurisdictionali, vbi etiam late, & ex professo habetur actum de singulorum Cardinalium iurisdictione, & praeminentijs in eorum Ecclesijs titularibus, siue Archipresbyterorum in Ecclesijs patriarchalibus; N Ac etiam in materia beneficii habetur actum de indultis, quae ipsi concedi solent pro collatione beneficiorum, Apostolicis reservationibus vel affectionibus non obstantibus. O

In eadem iurisdictionali materia quoque habetur actum de exemptione familiarium, vel respectiue domorum Cardinalium, vel circa eorumdem Cardinalium forum P; Atque in materia testamentorum, & vltimarum voluntatum habetur de indultis testandi, quibus Cardinales potiri solent Q, ideoque in praemissis, aliisque locis, in quibus de Cardinalibus, eorumque praeminentijs egisse occasio praebuerit, videri poterit, cum eorum reassumptio nimiam redoleret euagationem. R

Super antiquo numero Cardinalium, valde certarunt antiqui tam Iuristae, quam Cronistae S. Sed quaestionem subtulit Constituti Sixtio V., per quam statutus est numerus septuaginta, sumpto exemplo à Moyse, ex quibus sex antiquiores constituti sunt in ordine Episcopali,

atque sex actuales obtinent Episcopatus, quales sunt, Hostiensis, & Veliternus, qui obtinentur à Decano, habente proinde praerogatiuam consecrandi, & coronandi Pontificem; Portuensis; Praenestinus; Sabinensis; Tusculanus; Et Albanensis.

Super his Episcopatibus, diuersis temporibus, ac etiam nostra aetate quaestiones ortae sunt, an ad instar aliorum Episcopatum actualium, obligarent ad residentiam, fortius verò an essent, cum alio Episcopatu etiam actuali residentiali compatibles; Atque pro compatibilitate, & non obligatione residentiae resolutum fuit, talisque est praxis. T

Inter eos autem non dignoscitur ordo maioritatis, sed omnes sunt aequales, cum facultate seniorum, quando alter vacat, illum optandi, & relinquendi illum quem obtinet, excepto Hostiensi & Veliterno qui annexus est Decanatu, cuius potius quam naturali, vidimus enim nostra aetate Cardinalem, qui iuxta ordinem naturalem promotionis erat omnium antiquior, ac naturaliter Decanus, & tamen obiit in statu primi Praesbyteri eo quia, vel ex defectu praesentiae, vel ex alio accidenti, non optauit Episcopatum; Et de hac distinctione inter decanatum fictum, vel civilem, et naturalem in Capitulo Cathedrali, vel collegiatae habetur in sua sede. V

Alter est ordo praesbyteralis, constitutus ex quinquaginta Cardinalibus, qui praesbyteri dicuntur; Et alter diaconalis constitutus ex quatuordecim Cardinalibus, qui dicuntur Diaconi Atque in hoc posteriori ordine nostra pariter aetate quaestio orta est, an facultas in propria Ecclesia Cardinali diacono competat impartendi solemnem ac pontificalem

N de iurisdic. disc. 34. & 35. & in disputationibus Cardin. de Albicis ibidem registratis.

O de benef. disc. 1. cum seqq.

P de iurisdic. disc. 67. 70. & 80.

Q sub tit. de testamen. disc. 6. & seqq.

R Cobell. qui alios refert de orig. Cardinalium.

S Vestr. in prax. in princ. Lotter. de benefici. lib. 1. quest. 8. Cobell. vbi supra & in dictis disputationibus Cardinalis de Albicis.

T. Cardinalis Brancatius dissertat. 2. & tit. de pension. disc. 58. & 75.

V. de canon. & Capit. disc. 15.

lem benedictionem sub throno elato pontificali more, atque affirmatiua prodijt resolutio, Atq; super hoc puncto, ac etiã super materia cappellarum priuatarum Cardinalium eleganter ac eruditè scripsit, suosque labores posteritati tradidit insignis Cardinalis Episcopus Portuensis. X

31 Inter omnes dictos ordines respectiue, siue de vno ad alterum, datur optio, quia scilicet ille, qui ordinem Episcoporum ingressus est, iuxta ordinem antianitatis, pro eius arbitrio in proximo Consistorio post vacationem optare potest alium Episcopatum; Siue primus Præbyter optare vltimum Episcopatum vacantem; Aut inter ipsos Præbiteros vel Diaconos respectiue meliorare titulos, aut ab ordine diaconali facere transitum ad præbyteralem cum prærogatiua saltus occupando locum iuxta ordinem antianitatis super alios, qui prius fuerint in ordine præbyterali, perinde ac si ab initio in eo constitutus esset; Dummodo tamen sint præsentis in eo Consistorio, cum absentes optandi ius non habeant, nisi Papæ dispensatio accedat.

32 Super præcedentia, maioribusq; præminentijs Cardinalium supra Patriarchas & Archiepiscopos vel Episcopos apud antiquiores quæstio fuit Y; Hodie tamen sine dubio decisa est, & practicata ad fauorem Cardinalium, eo quia licet inferiores in ordine censeantur, maiores tamen & digniores censendi sunt ratione cuiusdam superioritatis ac iurisdictionis super eos tanquam supremi Senatores Papæ, quamdam participationem cum eo habentes in regimine Ecclesiæ vniuersalis; Et ex qua ratione magnas quoque obrinent præminentias, & honorificos tractatus cum Regibus, & Principibus, alijsque Magnatibus; Z Et de alijs ad eorum materiã videndum erit apud eos, qui formales tractationes desuper habere professi sunt, cum hæc pro informatiua relatione sat videatur insinuasse; Et de aliquibus Cardinaliũ exemptionibus in Regalium sede habetur. B

X. dictus Cardinalis Brancatius disertat, 1. & 7.

Y. Chassan. in cathal. glor. mundi.

Z. Lotter. de benef. dicta quæst. 8. lib. 1.

A. De regalibus disc. 55.

Habet quoque Collegium, adinstar 34 Capitulum, & Collegiorum inferiorum, quandam massam communem administrari solitam per Cardinalem, qui per turnum singulo quoque anno, vel biennio mutari solet, atque Camerarius appellatur, diuersus tamen à Cardinali Camerario in officium de quo infra; Istaque massa continet emolumenta galeri cardinalitij, quæ sub vocabulo *rotuli* explicantur, atque à iudicio Collegij pendunt maiora vel minora emolumenta aliorum officialium Curia, dum ad Collegium pertinet facere gratias in toto vel in parte de aliquibus expeditionũ emolumentis; Adinstar autem distributionum, de illis participant solum Cardinales præsentis in Curia, quales dicuntur ad hunc effectum illi, qui in duobus anni temporibus Veris, & autumnis in Curia etiam per modicum tempus fuerint; Ideoque Cardinales, qui residet in proximis Episcopatibus pro hac participatione bis in anno per paucos dies ad Urbem redeunt; Diuersa etenim est illa 35 præsentia, quæ magis rigorosè exigitur ut eis aliquæ Regulæ Cancellariæ seu priuilegia suffragentur. B

B de benef. disc. 11.



De Cardinali superintendente generali, seu primo Ministro Papæ.

S V M M A R I V M

- 1 DE istius Cardinalis introductione, eiusque munere.
- 2 Cuius aucta proportione assimilatur.
- 3 De aliquibus officijs Regni Neapolitani.
- 4 De

4 De